

ter alias mensuras creatas etiam superiores, et ipsam æternitatem, quod aliæ mensuræ superiores, quæ sub se continent alias inferiores mensuras, sicut locus superior locum inferiorem, et mensuræ cœli alios motus inferiores, et duratio Angeli durationes inferiores, non mesurant res mensuratas a mensuris inferioribus, antequam coexistant ipsis mensuris inferioribus, eo quod non mesurant sub omnimoda immutabilitate, sed cum aliqua mutatione, et imperfectione, nec mesurant aliquam actionem, quæ respiciat terminum antequam inferat passionem, et ideo debent supponere prius res ipsas, quas mesurant, affectas ab actione immutativa, quam ab ipsis mensuris superioribus attinguntur. Æternitas vero mesurat modo omnino immutabili, non solum quia in sua entitate intrinseca immutari non potest, sed etiam quia in ipso modo mesurandi non potest admittere variationem extrinsecam, quia non numerando, sed possidendo res mesuratas, mesurat, et similiter mesurat actionem, quæ in ratione actionis est æterna, et non semper conjuncta immutationi temporali, et ita potest mesurare terminum a tali actione respectum, antequam res mesurate sint in propria immutatione.

XXXII. Quarto, arguitur ab inconvenientibus. Nam in primis si res continentur indivisibili modo in æternitate simul in illa coexistunt tamen inter se, quam cum illa, nec enim ibi est aliqua successio, ergo cum res temporales incipiant et desinant, simul in æternitate incipient et desinent, erunt et non erunt. Et præsertim in ipsomet tempore hoc urgetur, quæ essentia temporis consistit in hoc, quod habeat partes successivas, et mutetur de una ad aliam, ergo si in æternitate omnia sunt immutabili modo, tempus amit-

tet suam essentiam per coexistentiam in æternitate, quia ibi carere debet successione. Secundo, sequitur quod si res continentur in æternitate secundum esse physicum; ergo quando producuntur in tempore, non producuntur simpliciter ex nihilo, si quidem jam supponuntur existere physice in æternitate tamquam aliquid extra Deum: ergo non producuntur ex nihilo, sed secundum quid quatenus producuntur ex nihilo in propria mensura, non absolute, ex negatione existentie. Similiter quando ponuntur res in propria mensura non incipient de novo coexistere æternitati divinæ, si quidem solum coexistunt illi immutabiliter, et sic non possunt per mutationem de novo coexistere æternitati. Hoc autem esse falsum constat, quia quando fiunt in tempore, incipiunt habere existentiam in propria mensura, quam ante non habebant, ergo vere per illam coexistunt de novo æternitati, et fundant relationem coexistentie ad illam. Et specialiter in rebus liberis, et contingentibus fit argumentum, quia si jam sunt existentes in æternitate, non possunt non fieri in tempore, et sic libere non fiunt. Tertio, quia æternitas præcedit durationem rerum temporalium, ut colligitur ex Scriptura Psal. LXXXIX: *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, a sæculo, et usque in sæculum tu es Deus.* Nec potest dici quod præcedit æternitas res temporales in propria mensura non in sua æternitate coexistentes. Nam contra hoc faciunt verba Augustini XII de Trinitate, cap. XXV, in fine, ubi inquit: « Quod si potentiam suam fabricatoriam rebus Deus subtrahat, ita non erunt sicut antequam fierent non fuerunt, sed ante dico æternitate non tempore, » sed remoto influxu divino res nihil omnino remanebunt: ergo sic manebunt sicut

ante fuerunt in æternitate, ut dicit Augustinus, in æternitate nihil sunt.

XXXIII. Ad primum inconueniens respondetur non esse inconueniens, quod in æternitate contineatur secundum diversos respectus rei corruptio et generatio, inceptio et desitio, esse et non esse referendo negationem essendi, et mutationes istas non ad ipsum nunc æternitatis, in quo immutabili modo omnia sunt, sed respectu inferioris durationis contentæ in æternitate, in ordine ad quam verificantur omnia illa ut contenta, et inadæquate se habentia ad æternitatem, non respectu ipsius æternitatis in se, in qua solum sunt. Et ratio est, quia eadem actio Dei in se immutabilis existens immutat omnia, unde ex ipsa actione Dei provenit, et quod res generentur, et incipiant, et quod corrumpantur, et desinant, et quod aliquando sint, aliquando non sint: unde sicut omnia ista in actione Dei inveniuntur respectu diversorum temporum et mutationum, ita in æternitate mesurante actionem Dei omnia ista contineri debent secundum quod connotat, et respicit diversas durationes, et tempora sibi inadæquata, et virtualiter est multiplex ipsa æternitas, quatenus coexistit multis et mesurat illa, sub modo tamen unitatis, et immutabilitatis, et existentie ex parte sui. Ad id vero quod dicitur de tempore, cujus essentia consistit in successione, et mutatione, et sic repugnat continentie immutabili, et summæ unitati quæ habetur in æternitate, respondetur repugnare temporis modum, et successione si consideretur per modum mesurantis, non vero repugnare si consideretur per modum rei mesurate, et contentæ, et derivatæ ab ipsa æternitate: sicut enim non repugnat, quod tempus ipsum, et res temporales producantur ab actione

æterna, et ab ea deriventur, et descendant, licet repugnet quod tempus mesuret actionem divinam formaliter, ita non repugnat quod tempus derivetur, et descendat ab æternitate, tamquam res in eo contenta, quia ab ea derivatur mensura inferior, licet repugnet quod modus mesurandi temporis sit sicut modus mesurandi æternitatis. Itaque æternitas continet tempus ut rem mesuratam et derivatam a se, non ut exercentem ibi modum suæ mesurationis, sed ut petentem exercere illam in sua mensura propria, non in mensura superiori æternitatis, et sic est ibi essentia temporis, et natura, licet non exercitium sub modo exercitii, id est, non ut mesurans, sed ut mesuratum.

XXXIV. Et si instes, quia Deus non solum videt res prout conjunguntur suæ actioni, et ad illam habent respectum, sed etiam prout sunt passive in se ipsis, et in sua mutabilitate: ergo non sufficit contineri in actione divina, ut intuitive videantur a Deo, respondetur quod ex parte rei visæ tota illi mutabilitas passiva a Deo videtur in se, et ex parte rei contentæ: ex parte autem modi continendi et modi attingendi immutabiliter continetur, quia ipsa actio, et æternitas immutabilis est. Non est autem inconueniens, quod res in alio modo se habeat ex parte rei cognitæ, licet totum quod continetur in re cognita attingatur ex parte cognoscentis. Et similiter, quod ex parte modi mesurandi mensuræ superioris indivisibili modo res attingantur, et respiciantur, et tamen ex parte rei contentæ omnis mutabilitas, et divisibilitas ejus attingantur, sub modo tamen altiori.

XXXV. Ad secundum inconueniens respondetur, quod res licet contineatur in æternitate ab æterno, et immutabiliter tamquam contenta, tamen simpliciter fit ex nihilo,

quando fit in tempore, si quidem non fit existentia in æternitate, tamquam ex termino a quo, sed semper terminus a quo est nihil tam respectu æternitatis, quam respectu temporis, in quo producit, si quidem ipsa actio æterna Dei, quæ immutabili modo ex parte sui respicit rem mutabilem, ex parte termini producti respicit illam ut rem productam, et quæ se habet ut terminus ad quem, et eandem respicit, ut ex nihilo faciendam, tamquam ex termino a quo. Et sic quando in tempore res passive producit in propria mensura, ex nihilo producit tamquam ex termino a quo, recipiendo in se passive ipsum esse, non tamen ex ipsa existentia, quam habet in æternitate, tamquam ex termino a quo, producit in tempore, sed sicut actio æterna respiciebat rem ab æterno ut terminum ad quem, et ex nihilo tamquam ex termino a quo, ita cum res ipsa in tempore accipit esse in se ipsa, ex eodem termino a quo quod est nihil accipit esse passive, sicut ex eadem actione, a qua respiciebatur active ab actione æterna. Dices: Repugnat incipere quod jam in se est, etiamsi non incipiatur ab illo ut a termino a quo, ergo repugnat incipere in tempore si jam est in æternitate, quia inceptio essentialiter dicit negationem existendi in re incipiente. Respondetur distinguendo antecedens; quod jam est in mensura suæ actionis, et suæ immutationis, et positionis in esse, concedo; quod est solum in mensura superiori, et ex parte actionis non in se ipso in propria mensura, et ex parte suæ immutationis, nego, in hac enim incipit immutari de non esse ad esse passive; in illa est immutabiliter per modum termini actionis, immutabilis, et nondum passive immutatus.

XXXVI. Et ex hoc etiam solvitur

alia difficultas de contingentia seu libertate actus faciendi eras; si enim jam voluntas habet illum in æternitate, non est libera, ut ponat illum in tempore. Respondetur enim, quod æternitas non continet illum ut factum simpliciter, et jam in propria mensura positum, nec ut faciendum eum indifferentia, et eo modo quo in tempore, sic enim derivatur ab ipsa actione divina, et consequenter ab æternitate quæ est mensura talis actionis. Quare sicut non repugnat ab actione divina contineri, et derivari rem mutabilem, et contingentem, et liberam, nec ob hoc amittit libertatem, sed habet, et simul quod illa Dei actio sit æterna; similiter non repugnabit quod res facta, licet non libera, et mutabilis sit, tamen jam æterna ratione actionis æternæ a qua derivatur, non ratione suæ passionis, et propriæ mensuræ in qua sit. Quare non magis impugnat immutabilitas illa mutabilitati, et libertati nostri actus, quam æterna actio Dei effectui temporali et libero, et mutabili.

XXXVII. Ad tertium inconveniens respondetur quod æternitas præcedit tempus in propria duratione, et mensura, non autem præcedit tempus secundum modum mensurandi, quem habet in æternitate, et in actione Dei, hoc enim esset præcedere se ipsam. Et secundum hunc modum existendi in mensura superiori non affirmatur in Scriptura, quod præcedit æternitas res temporales, ita ut aliquando eas non contineat. Ad Augustinum autem respondetur, verissimum esse, quod res desinent in nihilum, si Deus subtrahat actionem suam, et quod remanebunt sicut ante fuerunt non tempore, sed æternitate, quia ante non fuit tempus in se, sed in æternitate, in æternitate autem erant solum sub mensura superiori, et adæquata, non autem sub propria, in hac enim nihil erunt, et sic remanebunt, si Deus annihilat illas.

Quod autem alii adducunt ex Augustino, sermon. xi de verbis Apostoli: « Quod Deus habet electos suos apud semetipsum, non [in natura sua, sed in præscientia sua, » dicimus verissimum esse, quod non sunt in natura sua, secundum propriam mensuram, sunt autem in præscientia Dei, et simul in æternitate, quæ mensurat ipsam præscientiam. Unde non negat esse in ipsa æternitate secundum modum superioris mensuræ, imo hoc ipso quod dicit esse in præscientia, implicite dicit esse in æternitate, quia non stat esse in præscientia nisi sit etiam in ipsa mensura talis præscientiæ, quæ est æternitas.

XXXVIII. Quod aliqui difficultatem inveniunt quo modo peccata, et defectus existant in æternitate, dicimus hoc difficultate vacare, semper enim videndum est quid de istis defectibus existat in tempore, id enim etiam existet in æternitate, scilicet id quod positivum et materiale in ipsis est, et in summa, quidquid ex actione Dei est. Quod autem est privatio, aut negatio, aut fundamentum ejus sub formalitate deficiendi, et fundandi defectum, sicut non est a Deo, quia in se nihil est utpote privatio, ita nec est in æternitate positive, sed defective, id est, deficit ab ipsa. Nec mirum, quia nec in tempore est effective, sed defective.

QUOMODO LOQUENDUM SIT IN PROPOSITIONIBUS QUÆ FORMANTUR DE REBUS IN ÆTERNITATE?

XXXIX. Ex dictis colligitur, quia in propositionibus quæ formantur per copulam est de rebus temporalibus potest significari duplex mensura, seu duratio, et esse. Uno modo ita, quod uniant extrema significando, et exercendo propriam durationem secundum propriam mensuram. Alio modo significando per copulam dura-

tionem ipsam æternitatis prout complectitur inferiores mensuras modo indivisibili. Tertio modo abstrahendo ab utroque, et solum explicando connexionem essentialem extremorum. Contingit autem variari sensum unius copulæ ad aliam, et sic paralogizari. Si copula est uniat extrema propositionum respectu propriæ mensuræ temporalis, non est aliqua difficultas in præsentibus, fiunt enim propositiones contradictorie respectu ejusdem instantis temporalis, quæ nullo modo concedendæ sunt. Nec respectu ejus possunt simul coexistere, quæ in se successiva sunt, et mutabilia, sed solum quæ illi instanti, seu mensuræ temporali præsentibus coexistunt.

XL. Similiter si solum explicetur essentialis connexio extremorum per copulam est, ita quod abstrahat ab omni duratione, et sic fiunt propositiones æternæ veritatis, id est, necessariæ connexionis, in qua fiunt contradictoriæ non respectu alicujus instantis, vel durationis, sed respectu ejusdem connexionis, et convenientiæ prædicati cum subiecto, sicut istæ sunt contradictoriæ: omnis homo est animal, aliquis homines non est animal, quia negatur connexio illa essentialis inter hominem, et animal independentem ab omni tempore, et duratione, quia non fit unio ratione alicujus durationis, seu existentiam, quæ semper accidentaliter est, sed ratione intrinsicæ convenientiæ. Unde aliud est propositio veri tatis æternæ, et aliud est existentia veritatis æternæ, et aliud est habere existentiam in æternitate, aliud habere connexionem æternam in veritate. Connexio enim æternæ veritatis abstrahit ab omni existentia, et duratione, non solum in tempore, sed etiam in æternitate. Æternitas enim non mensurat aliquid ratione veritatis, et connexionis extremorum essentialis, sed ra-

tione existentia, et durationis, quæ in tempore convenit rei per sui immutationem, et ab æterno tangitur, et connotatur ab actione Dei æterna, ut terminus ejus, et sic talis mensuratio non fundatur in necessaria aliqua connexione extremorum, sed in libera Dei voluntate. Veritas autem æterna ratione connexionis extremorum non fundatur in aliqua existentia in æternitate, nec dicitur æterna, quia mensuratur positive a duratione æternitatis, sed abstrahit ab omni existentia, sed dicitur æterna negative, quia non fundatur in tempore, et motu, vel potius dicitur æterna illa veritas ratione necessariæ connexionis, quæ est immutabilis. Ipsa tamen veritas formalis, quæ est in actu iudicii non dicitur esse æterna, nisi prout est in mente divina.

XLI. At vero in propositionibus, in quibus ly est unit pro duratione æternitatis non pro mensura propria, sic res in se successivæ, et mutabiles sine exercitio successio- nis inveniuntur in mensura superiori, et simul coexistunt, quæ inter se distantes sunt. Similiter etiam contradictoria habent suam oppositionem affirmando, et negando respectu totius æternitatis, non vero respectu proprii temporis, et mensuræ, quæ inadæquate coexistit æternitati. Explicantur singula; nam quod simul coexistent æternitati ea, quæ in se, et in propria mensura simul non sunt, et quod semper æternitati coexistent ex eo patet, quia coexistunt æternitati tamquam mensuræ indivisibili formaliter, æquivalenter autem, et eminenter divisibili, quia unica existens propter suam infinitatem æquivalet pluribus, et sic coexistunt toti æternitati, sed non totaliter, id est, non secundum omnem respectum, quem æternitas habet ad inferiores mensuras. Nam in æternitate, et est ipsa

duratio indivisibilis formaliter, et se habet ad diversas mensuras inferiores, quas continet eminenter. Et quantum ad durationem indivisibilem necesse est, quod quidquid coexistat, et simul inter se, sed non secundum omnem respectum, sicut omnes lineæ, quæ ducuntur a centro ad circumferentiam indivisibili puncto centri coexistunt, sed non sub omni respectu, quia sub respectu sub quo correspondet uni lineæ, non correspondet alteri. Et quia talis diversitas solum et diversitas respectuum non durationum, nullam facit successionem in æternitate, quia successio non ex respectibus componitur, sed ex durationibus. Neque obstat quod res aliquæ successionem postulant essentialiter, quia postulant illam essentialiter in sua propria mensura, dependenter tamen a summa immutabilitate, ad quam ut ad supremam mensuram reducibiles sunt, et sub hac reductione induunt, et participant modum immutabilis mensurationis, et non sub exercitio successionis reducuntur et procedunt ab illo principio immutabili, licet eorum essentia successionem illam postulet, ut exercendam in propria mensura, non ut exercendam in æternitate, licet ibi sit ut mensura, ut jam supra diximus.

XLII. Neque obstat, quod respectu aliquarum rerum indivisibilium aliqua coexistunt illis, non tamen coexistunt inter se, sicut anima indivisibiliter coexistit partibus corporis, et similiter Angelus, et duratio Angeli durationibus temporalibus, et immensitas Dei omnibus locis, et tamen ista loca, durationes, et partes non coexistunt simul inter se, ergo similiter erit de æternitate. Respondetur enim, quod quando aliquod indivisibile coexistit rei divisibili immutando illud, et ponendo in propria divisibilitate, et men-

sura, tunc manifestum est, quod res illas divisibiles non extrahit a propria mensuratione, et modo existendi, et sic non simul omnibus necessario coexistit, atque adeo nec inter se simul sunt, sed potest successive saltem successione extrinseca illas tangere, et non simul possidere. Æternitas autem non solum entitative est aliquid indivisibile, sed etiam mensurative, quia mensurat omnia simul possidendo, et tangit illa, non ut sunt in propria mensura immutata, sed ut in actione æterna connotata et contenta. Angelus autem licet ævo indivisibili mensuretur in sua substantia est tamen capax mutationis, et temporis discreti in mensurando suas actiones, quia transit ex una ad aliam et multo magis in coexistendo mutationibus temporalibus extrinsecis, nec enim mensura ævi continet in mensurando mensuras inferiores temporis, quia non est causa earum, sicut æternitas omnium durationum, et mensurarum inferiorum, nec possidendo illas simul, et indivisibili modo continet, ut actus purus sed expectando, ut sint, et transeundo de potentia ad actum.

XLIII. Quoad propositiones vero contradictorias illud observandum est, quod ut fiant respectu æternitatis debet semper copula teneri eodem modo, et in ordine ad eandem mensuram eodem modo consideratam, ut si dicatur: Adam est in æternitate, contradictoria illius erit: Adam non est in æternitate, et non possunt simul verificari, sed negativa est falsa, scilicet: Adam non est, quia facit hunc sensum: Adam nullo modo est in æternitate, quod falsum est, quia Adam in æternitate est per respectum ad tempus præteritum, quod est contentum in æternitate. Quare si negatio fertur in copulam est, et illa significet non mensuram temporis, sed æternitatis, fiunt vere

contradictoria, quia tunc negatio excludit a tota æternitate, et sic redditur falsa propositio. Si vero copula in una propositione veniat pro tempore, et in alia pro æternitate non sunt contradictoria, quia non tenentur eodem modo copula. Cæterum si negatio non feratur in copulam, sed in prædicatum, licet sit repugnans alteri prædicato, poterunt propositiones repugnantes verificari respectu æternitatis, quia virtualiter continet plures durationes, respectu quarum illi repugnantes termini verificantur. Et sic in æternitate simul sunt veræ istæ propositiones: Petrus habet esse, Petrus habet non esse, Petrus nascitur, Petrus moritur, quia hæc omnia procedunt ab actione Dei æterna pro diversis temporibus, quæ in æternitate continentur. Nec tamen valet: Petrus habet non esse in æternitate, ergo Petrus non habet esse, a propositione de termino infinito ad propositionem negativam. Hæc enim regula solum tenet ubi copula stat in ordine ad instans temporis, non ad instans æternitatis, ut bene notat Ferrariensis I contra gent. c. LXVI, §. Patet etiam. Cujus ratio est, quia instans æternitatis licet formaliter sit divisibile, virtualiter est multiplex, quia æquivalet multis durationibus quas continet, unde verificari potest prædicatum infinitatum respectu unius durationis, et non alterius, inde vero inferre negationem absolutam copulæ, quæ tenetur in ordine ad totam æternitatem, est arguere a non distributo ad distributum ex parte ipsius copulæ, quæ universaliter negatur in propositione negativa, et particulariter verificatur in affirmativa de termino infinito. Videatur m. Bagnez, I p. qu. XIV, artic. XIII, dub. I, et Nazarius ibi controversia III.